



- INDEX DISPUTATIONUM
Theologicorum
- sub Praesidio Leonb. Hutteri.
- De Confessione Augustana
- 2 De unitate essentie divina et personarum Trinitatis
- 3 De personarum in una diversitate essentia differentiis notis characteristicis, ordine et generatione aeternitate filii Dei aeterna
- 4 De Divinitate Spiritus Sancti eiusque aeterna processione a Patre et filio, et de sanctis resibus tam veteribus quam recentioribus articulo 2. Aug. Conf.
- 5 De peccato originali et filiorum scripturarum opposita.
- 6 De blasphemia in spiritum manus in ecclesia sanctum sive peccatum ad mortem articulo 3. Conf. Aug.
- 7 De unione hypostatica naturarum et eorum idiomatu in Christo.
- 8 De communicatione et naturarum et eorum idiomatu in Christo.
- 9 De officio Christi sacerdotatibus et staticum humilationis
- 10 De officio Christi regio, et statu exaltationis articulo 4. et 20. Aug.
- 11 De justificatione hominis peccatoris coram Deo.
- 12 De efficacia ministerii verbi et sacramentorum regis ministrorum Ecclesie, a vocatione.
- 13 De bonis operibus tract. 4. 6. 7. 8. c. 4.
- 14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 4.
- 15 De sacramento ingeneris re, 13. a. c. 4.
- 16 De Baptismo, c. 4.
- 17 De Coena domini. 10.
- 18 De poenitentia et confessione " 12
- 19 De Traditionibus humanis in Ecclesia tract. 5. 4. 5. ar.
- 20 De rebus civilibus et perfectate Ecclesiastica. 16. 4. 7.
- 21 De extremo iudicio
- 22 De libero arbitrio
- 23 De causa peccati
- 24 De cultu sanctorum
- 25 Ex Ioh. Ecce Agnus dei illi Dei qui tollit peccata mundi
- 26 De verbbo Dei scripto sev scripturam Sacram.

DISPUTATIO XXII.
& Ultima.

DE CONSVM-
MATIONE SECVLI: AD-
VENTV CHRISTI IVDICIS: RE-
surrectione mortuorum: & Iudicio
extremo

Ad quam
Sub auspiciis divini numinis

Praefide

LEONHARTO HVTTERO,
SS. THEOLOGIAE
DOCTORAE,

Respondebit

M. SAMUEL LVBITIVS ROR-
bachensis; Pastor in VVInIhena.



IENAE

Typis Tobiae Steinmanni.

Anno cI cI XCVI.



Reverendis, Clarissimis, & Do-
ctissimis Viris,

Dn. ANTONIO PROBO,
SS. Theologiae Doctori, Ecclesiae Vinariensis
Superintendenti, Synedriiq; ibidem,
assessori dignissimo,

Nec non

Dn. SAMUEL FISCHERO,
SS. Theologiae Doctori, Ecclesiae Jhenensis
Superintendenti, ejusdemq; Acade-
mia Professori Publico.

D. D. & fautoribus suis omni animi
observantia colendis

Hasce positiones de consummatione seculi,
adventu Christi judicis, resurrectione mortu-
orum, & extremo judicio &c.

In debita observantia testimonium
offert

M. Samuel Lybitius Ror-
bachensis Pastor in
VVin Jhenae.



De Consummatione seculi : Adventu Christi Judicis: Resurrectione mor- tuorum: Extremo judicio.

THESES I.



Vae Mundi hujus aliquando futura sunt
postrema & novissima: eadem disputati-
onum quoq; nostrarum partem constitu-
ant postremam & novissimam: ac uti
Mundo: sic Collegio quoq; nostro Theolo-
gico colophonem feliciter imponant.

2. Quatuor autem antiquitūs, & quidem haud
perperam credit a fuerunt Mundi novissima: 1. Consum-
matio seculi: 2. Adventus Christi judicis: 3. Resurrectio
mortuorum: 4. Extremum judicium.

3. De singulis hisce, quid credendum nobis Sacra p-
ponant litera, disquisitione vel maximè videtur dignū:
siquidem de uno horum qui dubitat, is de ipso fidei nostræ
fundamento dubitare, ac proinde salutis naufragium pa-
ti, necesse habet.

4. Initio autem perspicua Scripturarum sunt testi-
monia, quæ seculi hujus consummationem sive transitum
comprobant & confirmant: ut Matth. 5, 18. 24, 35. I. tio seculi.
Cor. 7, 31. 2. Pet. 3, 10. 1. Ioh. 2, 17. &c.

5. Et quanquam D. Petro teste, semper sunt futuri 2. Pet. 3, 3.
iurānū irrisores, qui hujus rei certitudinem in dubium

A 2 VOCARE

vocare audent. tamen tam non Affirmativa nostræ quicquam hoc officit, ut potius eandem firmiter corrobo. ret ac stabilitat.

6. Hi ipsi enim furores documento esse possunt, necessariò restare aliud seculum, in quo poenas daturi ii, qui in præsenti contemtores DEI & veritatis extiterunt.

7. Quando verò isthæc Mundi futura sit Consummatio, varie & olim quæsumum fuit, & adhuc hodiè quæritur.

Thalmud.
lib. Sanhes-
dria tracta-
tu Abodah
Zarah. h. c.
Idolatriæ.
cap. 1.
Ps. 90, 4.
2. Pet. 3, 8.

8. Iudei produxerunt ex Thalmud Oraculum quod-
dam Eliae, non Prophetæ sed Rabini cuiusdam συναντίου,
mundum hunc 6000. annorum duraturum afferentis:
analogia desumpta à sex illis diebus, quibus totum hoc
Universum à DEO est creatum: quorum quilibet mille
constituant annos, juxta illud Davidis: Mille anni co-
ram te, sicut hesterna dies quæ præteriit.

9. Reperti sunt alii, qui Corpus Christi mysticum,
hoc est, Ecclesiam acturam in terris annos triginta tres
existimarunt, quos vixit Christus in mundo quoad
Corpus, quod ex virginе suscepere at; sed quemlibet annum
in quinquaginta usitatos distribuunt, ut annum Iubilæi
constituant.

10. Quæ Marcionis, Cerdonis, Praxeæ & Valen-
tini de Aeonibus & seculis fuerint somnia & deliria,
passim videre est apud Tertullianum, Irenæum & Epi-
phanium.

11. Sunt verò hæc nihil aliud, quæ minania & otiosa
figmenta hominum, qui ut Augustinus loquitur, Diabo-
lo sic ipso instigante, tanta superstitione in quæstionibus
infinitis ac inutilibus ad suam ipsorum perniciem labo-
rantes, non curant ea, quæ necessaria sunt, ut serven-
tur.

Habemus

12. Habemus firmum Propheticum & Apostolicum sermonem cui, recte facimus, attendentes, tanquam lu- 2.Pet. 1, 19 cerna lucenti in loco caliginoso.

13. Is verò disertè & graviter multis in locis attestatur, discretam temporis Consummationis seculi noctitiam, hominum in hac vita nemini competere: ut quorum non sit nosse χρόνος in ualigè tempore vel momenta.

14. Et Servator ipse discipulis de eodem rogantibus respondit ita: DEVM potestati hoc suæ reservasse, ut diei illius & horæ, nec Angeli, immo nec ipse quoq; filius [ex proprietate naturæ humanae consideratus] notitiam habeat. Matth. 24, 36. Marc. 13, 32.

15. Quod considerans Augustinus, Hesychio define seculi curiosius inquirenti, recte respondet, se non audere spacia seculorum usq; ad finem mundi vel metiri, vel enumerare, propterea quod scribatur de die illa neminem scire, neq; Angelos, neq; ipsum Filium.

16. Quoad confusam verò ac indiscretam notitiam haud planè in suspenso animos nostros relinquere Christus voluit, dum certa signa, termini sive finis Mundi prænuncia constituit.

17. Quorum alia sunt remotiora, atq; è longinquo praecurrentia, ut Securitas hominum: crapula: libid. - Matth. 24, nes: Apostasia à fide: Conceleratio morum: Revelatio 38. Antichristi: Alia propinquiora, que vel quàm proximè consummationem seculi antecessura sunt, vel cùc eàdem 1.Tim. 4, 12. Tim. 3, 2. potius conjungenda: qualia recenset Matth. 24, 29 & 2.Thess. 2, 3. 30. cùm præter alia quadam horrenda prodigia: signum quoq; Filii hominis in cælo apparitum, prænuntiat.

18. Quodnam verò illud signum Filii hominis sit futurum, nostrum non est definire, cùm D. Augustino adst.

adstipulante, citius hujusmodi signa impleantur, quam
intelligantur.

19. Sunt tamen haud pauci Orthodoxi in ea sententia, idem in secundo adventu filii hominis apparitum signum, quod in primo apparuit, Stellam nimirum miraculosam. Quam sententiam, cum nihil analogiae fidei repugnans contineat, maximè nobis quoq; videri probabilem asserimus.

1.Ioh.2, 13 20. Illud tamen addimus, haud statim cum nova aliqua & miraculosa apparet Stella, qualis etiam anno 72. & 73. in signo Cassiopeæ conspecta fuit, pronunciandum esse, jam ad justam mensuram dies mundi pervenisse, ipsiusq; finem in instanti adesse: quin potius statuendum cum Apostolo, hoc ipsum tempus nostrum, extremam esse etatem, horamq; novissimam.

2.Thess.1,8 21. De Qualitate hujus Consummationis, Scriptura perspicue docet. Mundum hunc sub incendio flammare Ignis transiturum.

22. Scholastici Doctores de Igne hoc Conflagrationis extremae satis pueriliter disputant: aliis quidem statuentibus: Ignem illum fore elementarem, qui DEI jussu descensurus sit, atq; omnia combusturus: aliis vero somniantibus, solis radios ex repercussione esse multiplicandos, ut ex illis omnia succedantur: quemadmodum fieri videmus, cum radii solares feriunt specula ex chalybe, stupram admotam inflammari.

1.20. de Civ. 23. Frivola ista & putida humani ingenii commenta, simpliciter repudiamus: & cum D. Augustino DEI. cap. 16. & 24. libenter fatemur, nos de illo igne conflagrationis, quis nam aut unde futurus sit, nihil quicquam nosse: credentes interim firmissime, totum hoc universum igni transitum.

Gravior

24. Gravior verò & difficilior hoc loco oritur qua-
stio, utrum nimirum transitus iste φρογὰ corruptione,
an ἀλλοίωσεi alteratione sit definiendus: seu, quod idem
est, An Mundus nāl' σοίαv secundum substantiam, an
verò nāl' τοιότητα secundum qualitates sit interitus.

25. Neḡ enim desunt rationes, quae pro utraq; sen-
tentia haud leviter pugnare videntur.

26. Qui enim Mundum Qualitatum solummodo ^{Ps. 102, 27.}
ratione interitum contendunt, Davidem sequi viden-
tur, qui de cælis afferit, quod ii aliquando ut vestimen-
tum veterascent, & in modum indumenti sint immutan-
di: & Apostolum, qui creaturam nunc vanitati subje- ^{Rom. 8, 20}
ctam, aliquando à servitute corruptionis liberatum iri: ^{& 21.}
& χῆμα saltem, figuram hujusmodi præteritaram, pro-^{1. Co. 7, 31.}
nunciat.

27. Qui verò Mundum nāl' σοίαv secundum sub-
stantiam per φρογὰv interitum statuunt, expressis et-^{Ps. 102, 27.}
iam insistunt Scripturarum testimoniosis, que coelos peri-^{Luc. 21, 33}
turos, & transituros affirmant: quæḡ ita Cælum & ter-^{Apoc. 20,}
ram à conspectu ejus, qui sedet super thronum, fugisse
testantur, ut locus non amplius ejus sit inventus: imò ut
Cælum & terra planè abierit, & mare jam non sit.

28. Nos statuimus litem hanc εποχῆ Christiana
rectissimè posse dirimi, quippe ejus decisionē rectius ex
sensu futura experientiae, quàm σκέψi divinatione pe-
tendam esse, persuasum habet.

29. Posterior tamen sententia magis videtur Scri-
ptura niti, ut quæ transitum hunc mundi iis potissimum
verbis exprimit, quæ non instaurationem vel in nobilio-
rem statum transmutationem: sed totalem q̄ abolitionem
& destructionem, suffragantibus etiam Grammaticis &
Physicis notant & significant: qualia sunt perire, in-
terire, abire, fugere, non existere &c.

Quid?

29. Quid? quod à φαραω & adavatia pars est
imaginis divinae, ad quam solus homo primū fuit con-
ditus, non verò ulla creatura hujus mundi alia. His ergò
eam tribuere nimis foret absolum.

30. Adde, quod, si mundi hujus conceditur instau-
ratio & renovatio: reliquarum etiam creaturarum
omnium restitutio statuenda fuerit: siquidem ratio dari
potest nulla, cur quedam saltem, non omnes: cur haec, non
ille orbis partes sint ab interitu vindicanda.

31. Frivolum enim planè est; imò prorsus ἀλογεν,
quod Scholastici docuerunt, ea tantum habitura immor-
talitatem, quæ ad eam aliquo modo fuerunt facta: quale
est corpus cælestis, ut simplicissimum, ita à contrariis qua-
litatibus alienissimum: Item Elementa, quæ quamvis
quoad partes, generentur & corrumpantur: tamen quo-
ad totum semper manent.

32. Nam & quod dicunt, non probant: & principi-
um turpiter petunt: siquidem hoc ipsum queritur: an Cæ-
lum & Elementa vi ac potentia D E I ab interitu sint
vindicanda, reliqua verò orbis partes non item.

33. Nos Negativam per omnia sequimur, & ut re-
liquarum ignobiliorum mundi partium, sic ipsius quoq;
Celi ac Elementorum interitum, vel eam etiam ob cau-
sam futuram credimus quod illorum nullus planè foret
usus in vita æterna.

34. Neg, enim tūm, ut in hac vita, natura nostra,
Celi ac Elementorum ministerio fovebitur & sustenta-
bitur: neq; etiam per harum visibilium creaturarum in-
tuitum, animus noster ad contemplationem D E I impel-
letur: ut qui non amplius per speculum in enigmate, sed
^{1. Cor. 13,}
^{12.}
^{1. Ioh. 3,2.} à facie ad faciem videbit D E V M, sicuti est.

35. Frustra autem planè sententia sua præsidium
querunt

querunt ex enunciato illo Apostolico, quo ipsam quog^z
creaturam à servitute corruptionis liberatumiri Pau- Rom. 8, 21
lus affirmat.

36. Ei si enim liberationis à servitute corruptio-
nis; non tamen restorationis mentionem facit Aposto-
lus.

37. Deinde non de ejusmodi liberatione agit,
qua in melius mutatae creaturae, perpetuo sint duraturae:
sed hoc vult, quod abolitione sua sint liberandae ab hor-
rendo impiorum abusu, cui in hoc seculo sunt expositae:
propter quem malling per voluntatem DEI in nihilum
evanescere, quam contra naturam suam servire
impiis ad peccata, & adversus proprium suum opificem
enilitare.

38. Queritur porro: num creaturis his prorsus abo- Ies. 65, 17.
litis, novum mundum creatus sit DEVIS? Nos no- 66, 22.
vum quidem cælum, & novam terram, cum Prophetis 2.Pet. 3, 13.
& Apostolis DEVIS creaturum credimus: at quaæ co-
rum futura sit conditio, curiosius indagare, nec possu-
mus, nec debemus.

40. Nihil tamen quicquam eorum interpretationi
interim derogamus, qui vaticinia ista novum cælum,
novamq^z terram promittentia, metaphorice partim
desplendore regni Christi sub gratia Novi Testamenti;
partim parabolice de futura beatitudinis gloria accipi-
unt & explicant.

41. Ceterum ut ad alterum Mundi novissimum II. Mundi
accessum faciamus, Adventum nimirum Christi ad ju- novissimum
dicium, testantur S. literæ, sub consummationem seculi Adventus
apparitum Filium hominis, Christum videlicet, non Iudicis.

B secundum

Ies. 26, 10 secundum divinam; ut quam impius non videbit; sed
Zach 1, 10 secundum humanam naturam, quam visuri sunt & hi.
qui pupugerunt ipsam, Matth. 24, 30. Ioh: 5, 27.

Matt. 24, 30 42. Apparebit autem Filius hominis in nubibus
25, 31. Cæli, in potentia & gloria magna, ea nimis, quæ
soli Filio hominis à Patre est concessa, quam super throno
gloriae divinae considens ille usurpatus est.

**Matth. 24,
30. 25, 31.** 43. Accedit in super nubes tua illud & vox Archi-
1. Thess. 4, angeli, & tuba DEI de supernis: Angelorum item
16. 1. Cor. 15, omnium myriades cum tuba & voce magna.

32. 44. Reditum hunc CHRISTI Scriptura
respectu conditionis naturæ humanae, Adventum:
respectu vero accessionis glorie, ἀποκάλυψε της οὐρανίας
φάνειαν revelationem & apparitionem nominare solet.
1. Cor. 1, 7. 2. Thess. 1, 7. 1. Pet. 1, 13. Tit. 2, 13. 2. Thess.
2, 8. 1. Tim. 6, 14. 2. Tim. 4, 1. & 8.

III. Mundi 45. Tertium Mundi novissimum, est Resurrectio
novissimum mortuorum, quæ uti cum omni ratione humana pa-
**Resurrectio
mortuorum** gnat, ita rectè miraculorum omnium divinorum mi-
raculum à veteribus appellata fuit.

**Apoc. 20,
13.** 46. Miraculum enim summum futurum est,
quod terra & mare corpora defunctorum, non al-
iorum duntaxat, sed omnium jam inde à condito
mundo mortuorum, rursus quasi effundet: quod illa
animabus suis juncta reviviscet: quod deniq., licet
qualitatum aliquam, substantia tamen prorsus nul-
**Iob. 19, 25.
& seqq.** lam mutationem patientur: siquidem attestante
Iobe, ipsa sua pelle quisq. circumdabitur: & in
ipsa sua Carne videbit Dominum idem ipse qui vir-
xerat, & non aliis.

Fide m

47. Fidem futuro huic miraculo faciunt expressa
Scripturarum testimonia, quæ omnes quotquot dormi-
unt in pulvere terræ; evigilaturos & resurrecturos diser-
tè testantur: ut Ies. 26, 19. Iezech. 37. Dan. 12, 2. Iob.
19, 25. Ioh. 5, 28. I. Cor. 15, 12 & seqq. I. Thess. 4, 16.
&c.

48. Fidem præterea faciunt exempla Enochii &
Eliæ, quos vivos in Cælum translatos fuisse, Scriptura
perhibet, item eorum, quos à Prophetis, Christo, & Apo-
stolis è mortuis resuscitatos fuisse legimus.

49. Causa hujus facti sive eventus partim est vo-
luntas & decretum DEI: partim verò Christus Servator, 12 & 20.
qui factus est primitia dormientium, principium & pri-
mogenitus ex mortuis: imò Resurrectio atq. vita ipsa, 1. Cor. 15.
Col. 1, 18.
Apoc. 1, 5.
Ioh. 11, 25.

50. Qualitates & proprietates piorum ac beato-
rum corporum resurgentium prolixè describit Apostolus Mat. 13, 43
I. Corinth. 15: 53. & seqq. quarum præcipuae erunt Im-
mortalitas: Lux & fulgor: quem obtinebunt corpora
clarificata, fulsura instar Solis, & stellarum firmamenti: Luc. 20, 36.
Impassibilitas: & hujus generis aliae, quas Servator sum-
matim complectitur asserens, in vita æterna fidèles fore
similes Angelis DEI.

51. Impii contra præter immortalitatem, cætera.
rum qualitatum nullam obtinebunt, quin potius contra- Mat. 22, 13.
Iel 66, ult.
riis & prorsus oppositis deformabuntur: luce atq. clarita-
te prorsus destituentur, quippe in exteriores tenebras con-
jiciendi: neq; erunt impassibiles, quandoquidem crucia-
tibus & doloribus immensis sunt afficiendi.

52. Quæ verò hoc loco de Infantibus movetur
questio, in qua etate vel statura illi sint resurrecturi:
verbis Augustini explicari posse videtur, dicentis: Re- 1. 22. de Civ.
surgent omnes tām magni corpore, quām vel erant, vel & 16.
DEI. cap. 24

futuri erant in juvenili aetate, quamvis nihil obseruit, etiam si erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam, si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrectum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.

53. Pari modo ad questionem illam, an claudi, lusci caci, muti, surdi, iisdem in vita eterna sint obnoxii futurinaturae defectibus, negando simpliciter respondemus, Cyrill. I. 12. esp. 58. in Iohannem. & cum Cyrillo statuimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signum defectus post resurrectionem in hominibus futurum, sed quod seminatum in infirmitate, resurrectum in virtute & gloria. Quid autem est in virtute atque in gloria resurgere aliud, quam quod omni infirmitate, omnique corruptionis dedecore procul depulso, ad sinceram incorruptibilitatem genus humanum redditurum sit?

54. De monstrosis vero partibus, de abortivis, de superfluitatibus corporis humani, certi nihil definimus, cum hac de re tam altum in sacris literis sit silentium: divinae providentiae hoc ipsum committentes.

55. Resurrectioni mortuorum vicina & proxime est alayn^{sive} immutatio, & Raptus ille, qui Scriptura teste in Consummatione seculi, vivis obtinet, qui una cum mortuis resuscitatis in occursum Domini per aerem in nubibus οντόμων καὶ ἡρυπήσθαι λαμψαientur.

56. Quaritur autem, cum Corruptioni in Incorruptionem locus esse nullus possit; nū alayn^{sive} Immutatio ista Mors appellanda sit nec ne? Nos secuti Apostolorum, qui non omnes quidem dormituros, sed omnes immutandos pronunciat, respondemus, cum raptus iste, conflagrante interim mundo, per medium ardoris hujus universi

universi flamas futurus sit, corpora illa tūm in terris
viventium, sic per ignem raptata, non mortem quidem
ipsam, sed morti quiddam passa avānoyemira celeritate,
ad incorruptibilitatem transitura.

57. De Iudicio ultimo sive extremo, quod quartum est Mundi novissimum, manifesta rursus Scripturæ sunt testimonia tam Veteris quam Novi Testamenti, ut Psal. 9, 9. Ies. 3, 13. 66, 15, 16. Daniel. 7, 10. Soph. 3, 8. in primis Matth. 25, 31. & Act. 17, 31. Et in Epistola Iuda, versu 14. & 15. &c.

58. D. Apostolus Iudicii hujus certitudinem asser- 2. The. 1, 7.
turus, ratione nititur longè evidenter, inquiens: Iu-
diciū est apud DEV M. retribuere tribulationem iis, qui
nos affligunt: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscū
in revelatione Domini nostri Ihesu, de caelo, cum Angelis
potentiae sue.

59. Quæ sanè retributio cūm neg̃ piorum, neg̃ im-
piorum respectu hac fiat in vita, his quidem felicissima,
illis verò iniquissima sorte fruentibus: firma autem & in-
concuſſa in eternum D E I stet Iustitia: vel ipsa dicta
ratio superesse judicium quoddam generale, in quo mali
perent: boni autem pietatis accipiant mercedem.

60. Et sanè tanta rationis hujus est vis, ut natura-
lis quedam semper, ipsis etiam gentilium animis, insita
fuerit futuri judicii notitia: id quod vel Poëtarum fabu-
la probant, qui Minoem, Radamanthum & Aeacum
apud inferos, Iudices mortalium constituerunt.

61. Sistendi verò sunt huic judicio homines quotquot
vixerunt, vivunt, victuriq; sunt universi, boni & mali,
justi & injusti, adeoq; omnes gentes & tribus terræ. Matth.
13, 48 & 49. 24, 30. 25, 32. Act. 24, 15.

62. Præsidebit autem judicio huic, justissimus ille

B 3. à DEO.

III. Mundū
novissimum
judicium
extremum

A& 17,31. A D E O constitutus iudex mortuorum & vivorum.
Ioh. 5,27. C H R I S T V S I H E S V S: cui Pater dedit po-
testatem Iudicii faciendi, quia Filius hominis est: talis
nimirum Index, qui intimos cordium humanorum scru-
tatur recessus: & coram quo omnium patebunt consci-
entiae.

63. Assessorum vicem sustinebunt Apostoli & reli-
Luc. 22,30. qui sancti, & qui sessuri dicuntur super duodecim sedes,
1. Cor. 6,2. & judicaturi duodecim tribus Israel: non quidem,
quod hujusmodi externa spectacula in iudicio illo sint fu-
tura: Sed quia partim Apostolorum fides, omnem Israë-
litis excusationem est ademtura: partim ipsorum, ut &
reliquorum Sanctorum doctrina, norma quasi erit, ex
qua universum de incredulitate hominum iudicium est
futurum.

64. Iudicii huius locum designant Iudei vallem
Iosaphat, que inter montem Oliveti & Ierosolymam est
sita: falsa decepti interpretatione loci Prophetici, qui ha-
betur Ioe. 3,2. & 12. cum vocabulum Iehosaphat non
propriè, sed appellativè sit accipiendum: idemq; denotet,
quod Iehovah iudicat, vel Iehovah iudex: & Vallis no-
mine, Mundus hic notetur, in quem quasi in vallem ali-
quam descensurus Dominus, iudicaturus omnes gentes
terra.

65. Forma hujus Iudicii, in sententia definitiva
promulgatione consistit, quæ instituetur, vel respectu
credentium & Electorum ex Evangelio, quibus gratis
per fidem in C H R I S T V M dabitur merces sive præ-
mium: Ioh. 3,18. Rom. 2,16. Vel respectu re-
proborum & infidelium ex Lege, secundum illud:

Qui

Qui non crediderit, condemnabitur. Marc. 16, 16. Ioh.
3, 18.

66. Exitus Iudicii is fatus est, ut pii & electi Matth. 25,
sint possessuri regnum DEI Patris, ipsis jam inde à mun- 34 & 41.
di constitutione paratum: Impii verò in ignem ater-
num, ipsos ac Diabulos sine intermissione immensis, ac
ineffabilibus cruciatibus afflicturum sint ituri.

67. His omnibus ita constitutis, rejicimus & da- 1. 8. Phys.
mnamus errorem Aristotelis, qui statuit, mundum 1. de Cælo
nullum habiturum finem Item Mahometricorum
quorundam, qui partim certo siderum concur-
su incendium orbis excitatumiri semniant, quando ni-
mirum sidera omnia, quæ nunc diversos agant cursus
in cancrum convenerint: partim verò ex numeris,
aliisq; calculi Astrologici supputationibus, prædictiones
de die novissimo extiruere sat agunt.

68. Damnamus item Epicuraos, Sadduceos, & Matth. 22,
quo suis èputantur alios, qui nullam planè resurrectio- 23.
nem futuram esse, sed animam & corpus hominis, instar Act. 23, 8.
brutorum animantium, per mortem extingui, sunt opi- 2. Pet. 3, 3.
nati.

69. Damnamus etiam Hymenai & Phileti deliri- 1. Tim. 1, 20
um, quo finxerunt, resurrectionem tūm fieri, cum 2. Tim. 2, 17
homines hac in vita ad D E V M convertun-
tur.

70. Damnamus Iudaizantium quorundam dog-
ma, statuentium, ante resurrectionem mortuorum,
pios ubique oppressis impiis, regnum mundi occu-
paturos esse: & veterum Anabaptistarum ac
Origenistarum opinantium, damnatos tandem o-
mnes, atque ipsos etiam Diabulos salvandos esse:
Chili-

Chiliastarum deniq^{ue} sive Millenariorum, qui C H R I S T U M post resurrectionem in hoc mundo mille annis cum piis & electis dominaturum esse, statuerunt.

71. C H R I S T O I H E S V , justissimo mortuorum ac vivorum judici, sit cum Patre, Sanctoq^{ue} spiritu laus, honos, & gratiarum actio in secula aeternitatis universa.

A M E N .

• S X S •



F I N I S.



Age. Agi. invati dante in uibz p[ro]m[er]t[us] selenit
volumen sacerdotis v. 1. h[ab]et h[ab]et n. p[ro]fessio[n]is
as p[ri]m. f[ac]tus: *... in omni g[ra]te v[er]o*
... be p[re]dicta p[ro]p[ri]etatem thomasi v[er]o legum 3: C[on]tra
... northem et h[ab]ent se veluti v[er]o in c[on]tra
... taliter festa o[ste]ra Et. Logia. Propriet
... de h[ab]ita coram D[omi]no t[er]tio f[est]o Et. Vixi
... m[od]i h[ab]it exinde adiutorium e[st]re
... usq[ue] ad h[ab]itu[m] ap[er]tural m[od]i in d[omi]ni mei
... nos dolors sustinuit; Relyg n. Octal & Eric:
... h[ab]it m[od]i aegypt[us] p[er] stravit, & l[et]o applici
... p[ro]p[ri]etate summa capital, summa t[er]rare
... nisi venturam posse. Ecard. P[ro]ud. barb.
p. 394.

94 A 7389

ULB Halle
002 716 291



3

UD 77



Farbkarte #13

B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches

